Q. D. B. V.

# Ægram
ex
# LOCHIORVM RETENTIONE
GRAVITER DECVMBENTEM
*IVSSV ET AVTORITATE*
ILLVSTRIS ATQVE GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
*PRÆSIDE*
## JO. HADRIANO SLEVOGTIO
MED. D. ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. ET PHYSICO PROVINC.
*PATRONO AC PRÆCEPTORE ÆTERNVM DEVENERANDO*
## PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM LEGITIME IMPETRANDI
*PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI*
exhibebit
## ARNOLDVS FRIDERICVS BEIER
JENENSIS
*IN AVDITORIO MAIORI*
horis ante & pomeridianis.
*JENÆ, d. 18. Decemb. M DC IIIC.*

---

LITERIS KREBSIANIS.

J. J.

# PROOEMIVM.

UTerum inter principes corporis fœminini partes haud ultimum locum mereri, inſignis ejus ad perpetuitatem ſpecierum animalium neceſſitas comprobat.

Enimvero ſicut Juvenali, ſatyr. 8.

*omne animi vitium tanto conſpectius in ſe*
*crimen habet, quo major, qui peccat, habetur:*

ita quo excelſior matricis utilitas cenſetur, eo gravius quoque affligunt ejus ægritudines corpus, cumq; quampluribus communicantur viſceribus, quibus iſta arctiſſimo fœdere per nervos, vaſa & membranas copulatur.

Dignum proinde Authore ſuo eſt effatum Hippocratis, quod in limine lib. 2. de morb. mulier. deprehendimus: αἱ ὑστέραι πάντων τῶν νȣσημάτων αἴτιαί εἰσι, *Uteri omnium morborum cauſæ ſunt*, & verbis Helmontii, tr. aſthma & tuſſis. §. 17. pag. 345. *Multa profecto commiſeratione dignus eſt ſexus in adjutorium magnarum neceſſitatum nobis datus, ſiquidem ſemel omnes propemodum morbos patitur ex utero, iterumque eosdem quatenus homo, duplices naturæ corruptæ pœnas, inſons atque devotus ſexus permiſera individua muliebria tolerat.*

Cum vero præ reliquis uteri vitiis LOCHIORUM RETENTIO multorum ſymptomatum ferax eſſe ſoleat, ideo in præſentia, dum, juſſu illuſtris Medicorum ordinis, ſpecimen eruditionis in publicum a me edendum eſt, in hac potiſſimum explicanda & curanda ingenium vireſque oſtendere volui. Quod ut feliciter cedat, ſummum Numen devotis invoco precibus.

# HISTORIA.

UXor civis hujus loci, XXVI annorum, teneriore corporis conſtitutione & temperamento ſanguineo, ad cholericum vergente, prædita, vini alias & ciborum ſalſorum amans, altera ab edito partu nocte, quæ undecima Junii erat, ab exploſi in vicinia ſclopeti fragore ſubito ex ſomno excitata, ingenti terrore percellebatur, ut reliquam noctis partem inſomnem & admodum inquietam tranſigere cogeretur. Cum enim uteri purgamenta, quæ hactenus recte proceſſerant, ſubſiſterent, uterusque ſiccus redderetur, regio abdominis, ab hypogaſtrio & iliis circumſcripta, doloribus primum lenibus, ſed paulatim invaleſcentibus corripiebatur, cum duritie quadam, & ſubſequente intumeſcentia totius fere inferioris ventris. Inſtante aurora diei 12 accedebant anxietas præcordiorum & dolor mammarum atque dorſi obtuſus. Obſtetrix adhibebat ſacculos paregoricos, admovebat ſuffimigia, & litus ex oleo cheiri atque lauri, ſed absque ſucceſſu. Cum vero inſuper oleum lini ægrotæ ſorbillandum propinaret, ructus & nauſea, hactenus jam ſatis eam

mole-

moleſtantes, adeo intendebantur, ut aliquot vomitus, cum averſatione omnium ciborum, ſequerentur. Poſt meridiem bis terve corpus leni ſuccutiebatur horrore, quem circa veſperam mediocris calor febrilis excipiebat, absque ſitis notabili augmento. Per noctem dolebant caput, mammæ, dorſum & venter, ſomnumque pavores & inſomnia terribilia turbabant. Die 13 mane reſpirabat ægra celeriter, & reſpondebat incongrue ad quæſita. Alvus a die partus manſerat clauſa. Maritus petebat conſilium.

## *Reſolutio.*

QVamvis *συνδρομὴν συμπτωμάτων* in præſente Ægra deprehendamus, recte tamen, ut a potiori denominatio ſumatur, affectum ejus primarium LOCHIORUM RETENTIONEM appellabimus: Ita quidem, ut per τὰ λοχεῖα vel λόχια neutiquam in ampliori ſignificatu cuncta ea, quæ poſt fœtum exeunt, ſive ſolida ea ſint, ſive fluida, intelligamus: cum per illa SECUNDINÆ, hoc eſt, placenta & membranæ fœtus, cum parte funiculi umbilicalis ordinarie denotentur; hæc autem in ſtrictiori ſenſu, Græcis λόχια & κάθαρσις, Latinis UTERI PURGAMENTA, Germanisque die Mutter-Reiniguug audire ſoleant.

§. 2. Ratione ortus ſunt ſanguis menſtruus, in adultis, ante conceptionem, ſtatis utplurimum temporibus, per genitalia excretus; qui durante geſtatione in poris, glandulis & vaſis uterinis coacervatus, & corpori fœminæ inutilis factus, ex illis, poſt embryonis excluſionem

nem, & placentæ ab interioribus parietibus matricis abruptionem, longe lateque patentibus, primum ſponte & largiter, ſub cruoris forma, effluit, poſtmodum autem a tonica uteri conſtrictione, tanquam ex ſpongia, habitu ichoroſo præditus, exprimitur.

§. 3. Dum purgamenta largiter effluere dicuntur, id tantum de humidioribus & polyæmis fœmellis accipi debet; ſicciores enim, uti extra conceptionem exigua Lunæ tributa ſolvunt, ita non multum humoris, neque diu poſt partum effundunt: ſuntque inter Medicos, qui ajunt, eas fœminas plane, brutorum more, Lochiis deſtitui, quarum uteris natura, ſive conceperint, ſive vacui fuerint, non plus ſanguinis concedit, quam ad eorum fœtusque nutrimentum requiritur.

§. 4. Quod ſi igitur contigerit, ut ab interna vel externa cauſa conatus naturæ, ejusmodi humores egerendi, impediatur, horum ſtagnatio a Medicis Lochiorum retentio ſalutatur; quam ut in genere definiamus, nulla cogit neceſſitas, cum ex allatis natura affectus hujus ita pateat, ut in præſentia ſufficiat dixiſſe, retentionem Lochiorum noſtræ ægræ eſſe *denegatum ſanguinis, ſerique & ichoris, poſt partum reſidui effluxum, a naturæ turbatione & humorum coagulatione, per terrorem inducta, ortum habens.*

§. 5. Quod vero purgamenta fluere deſierint, *propria puerperæ confesſio* nos certiores facit, quam linteamina ſubſtrata munda, nec amplius collutulata oculis obſtetricis occurrentia confirmant, ut proinde evidentiori, magisque pathognomonico ſigno nequaquam opus ſit, cum allata indicia inter eſſentialiter inhærentia omnino numerari debeant.

§. 6. Quibus ea ſubjungimus, quæ in pathologicis ſcholis *eſſentialiter conſequentia* audiunt, ſymptomata ſcilicit, longa ſerie in caſu recitata,

quo-

quorum alia individui hujus affectus comites ſunt, & immediate ſuppreſſionem præternaturalem talismodi fluoris excipiunt; alia vero vel non ſemper adſunt, nec niſi ſtatui duriori ſuperveniunt; vel mediate magis & occaſione reliquorum advocantur. Illa ſunt dolor hypogaſtrii, iliorum, dorſi, mammarum, ventris durities & tumor, anxietas: hæc vero pervigilium, nauſea, ructus, averſatio cibi, febris, cephalalgia, reſpiratio crebra, pavores, delirium, alvus clauſa.

§. 7. Idem dicunt cauſæ prægreſſæ, in hiſtoria cum ſtatum naturalem, ætatem ſcilicet & temperamentum, corporisque habitum; tum non naturalem, tempus anni, errorem in aſſumtis & affectus animi noxam concernentes, quarum indolem & modum operandi in ſequentibus fuſius exponemus; ſufficitque nobis, inter univerſum Medicorum coetum convenire, noſtram non minus puerperam, quam alias omnes, ſimiliter decumbentes, Lochiorum ſuppreſſione præternaturali laborare, a naturali & minime morboſa, per ſupra, §. 3. dicta facile diſtinguenda: cum hæc ſine incommodo feratur, quatenus nihil in utero eſt, quod per moram corrumpi & turbas facere queat; in illa autem nocumenta, ex impedita ejectione materiæ peccantis nata, manifeſtiſſima exiſtant.

§. 8 Eſt vero præternaturalis hicce ſtatus, prout in eo ipſa emanſio ejus, quod exire debebat, nunc ſpectatur, *Symptoma*, ut vocant, *excretorum*, rectius *excernendorum intempeſtive retentorum vitium* vel, ſi mavis, *actionis uteri abolitæ* dicendum, & productum equidem morborum, in obſtructione uterina primario, ſecundario autem in temperie humorum alterata fundatorum exiſtit, quos tanquam umbra corpus ſequitur, ſed rurſus quoque cauſa & mater vario-

rum

rum ſymptomatum evadit. Quæ tamen non ita excludit, ut propterea nova iſta emergentia mala hujus ſymptomatis ſymptomata dicenda ſint, ſed quatenus occaſione humorum, circa uterum ſtagnantium, ſtatus vicinorum pariter ac remotorum viſcerum naturalis læditur. Quod ipſum ſi fit quoad temperiem, præſto ſunt febres; ſi quoad ſtructuram, oriuntur tumores; ſi quoad continuitatem, quatenus integritati ſolutio intentatur, dolores inde emergunt, & beneficio horum, per intervenientes alios morbos, ſpaſmi, variarumque actionum imminutiones & depravationes in ſcenam protrahuntur.

§. 9. Præbet itaque uterus ſubjectum hujus affectus ut *quod ſpeciale*, cum *generale* ipſa fœmina audiat; *ut quo* vero conſtituunt uteri glandulæ, vaſa omnis generis & pori, quæ cuncta alio reſpectu etiam ſubjectum morbi atque cauſæ, radicationis item & idiopathice affectum dici queunt; cum reliquæ partes corporis, in quibus diverſæ ſymptomatum ſpecies animadvertuntur, aut per conſenſum, aut per accidens tantum ægrotare ſoleant. Exempli gratia per conſenſum, ob nervos potiſſimum, afficiuntur caput & ventriculus; per nervos & vaſa cor; per vaſa & membranas dorſum, inteſtina, & ilia; ob communionem officii mammæ; per accidens autem organa reſpirationi inſervientia &c. quorum omnium ac ſingulorum infra pleniorem explicationem pollicemur.

§. 10. Cauſa immediata, ſecundum quosdam, eſt effluxus ſanguinis e venis in uterum prohibitus. Sed idem ſui ipſius cauſa eſſe nequit; lochiorum autem retentionem & ſanguinis effluxum prohibitum unum & idem denotare, forſan nemo dubitat. Deinde non ex venis tantum ſanguis, ſed ex aliis quoque, §. 2. & 9. memoratis locis fluit, & quidem non in ſolum uterum, ſed etiam

in

in collum, in quod tot vaſa terminantur. Alii obſtru-
ctionem uteri, alii craſin humorum excernendorum alte-
ratam allegant, & rurſus alii utramque conjungentes,
viarum æque, ac materiæ, per iſtas vias expellendæ, vitium
accuſant.

§. 11. Enimvero quamvis hæc omnia abeque con-
tradictione, juxta ſe invicem ſtare queant, & neutrum
horum alterum removeat, ſed comitetur potius & infe-
rat, in noſtra tamen rectius *fruſtratam facultatem expul-
tricem* primo loco ponimus. Cum enim abinitio, primo
alteroque die, cuncta feliciter procederent, & fibræ uteri
hactenus admodum diſtentæ, nunc ſpiritibus animali-
bus roboratæ, ab iſto diſtenſionis ſtatu ad priſtinum re-
dituræ, per nativam ſuam contractionem humores, a
ſpiritibus vitalibus dilutos, inque motu conſervatos,
blande atque ſucceſſive exprimerent, & hoc pacto *na-
tura*, id eſt, *anima cum organo*, tota evacuationi matricis
incumberet, duranteque ſomno potiſſimum huic nego-
tio, tanquam ἔργῳ ſuo, vacaret, ſimul ac ſemel autem
ſpiritus a ſubitaneo & improviſo fragore ſclopeti vehe-
menter percellerentur, anima ab horrifica exinde nata
idea territa, ſtatim in actione ſua turbabatur, & ab in-
cepto opere plane deſiſtebat.

§. 12. Remittebat tunc actutum & eodem momen-
to fibrarum tonica contractio, & ipſæ quaſi ſideratæ
torpebant. Humores vero, motore ſuo extrinſeco or-
bati, in vaſis, glandulis, reliquisque poris coagulaban-
tur, & partim adeo firmiter in ſedibus ſuis cuneabantur,
ut nullo modo a natura, ſeſe recolligente, loco moveri
poſſent; partim vero hac occaſione extra circulum reli-
quorum vitalium ſuccorum, in loco tepido, & ad fermen-
teſcendum aptiſſimo conſtituti, vi particularum ſuarum
activarum, per moram turgeſcere, conceptacula ſua ex-

pandere, vicinas partes premere, acrimonia obvias fibrillas nerveas quasvis laceſſere incipiebant, donec tandem univerſam œconomiam turbarent, in aliis viſceribus latentes cauſas προηγȣμένας ſuſcitarent, & hoc pacto tam per ſe, quam per aliosmorbos ſupra, §. 8, indigitata ſymptomata excluderent.

§. 13. Ex hiſce clare jam cognoſcimus, in noſtra ægra obſtructionem uteri non, ut in aliis ſubjectis (ubi illa a cauſis internis oritur) fieri poteſt, ſtatim ab initio immediate purgamenta impediviſſe, cum proxima culpa tunc potius in naturæ turbatione reſederit. Nunc vero ea ut continens cauſa conſideratur, in qua corrigenda Medicus omne ſtudium ponere debet. Humores autem jam cauſæ mediatæ proximioris titulum acquirunt, quem antea *terror*, res nonnaturalis, merito gerebat, quia in ordine cauſandi proxime juxta facultatem expultricem fruſtratam conſiſtebat.

§. 14. Peccant itaque hoc loco humores (1.) quantitate; quia ægra ſucculenta eſt. Unde tanto magis a mole retenta affligitur, quando difficilius hæc a natura regi & uterus ſeſe exonerare poteſt. Fibræ enim motrices, ultra modum & diutius expanſæ, virtutem ſeſe contrahendi amittunt. Cujus rei exempla, menſium atque urinæ ſtagnationem concernentia, a Riverio, Cent. 1. obſ. 1. & 2. conſignata extant, paſſimque in praxi occurrunt. (2.) Qualitate. Neque enim noſtram omni ex parte puro ſanguine pollere, temperamentum & diæta indicant. Ut proinde, cum ejus MSea jam multo ⊖e & 🜍e ſcatuerit, & poſtmodum inutiles corpori, & ad excretionem deſtinati humores, per terrorem ulterioremque ſtagnationem adhuc majus vitium ceperint, nunc, præter uterum & confines regiones, etiam diſſitæ inde male afficiantur, & quatenus (3.) motu plane irregulari

gau-

gaudent, modo in defectu delinquentes, ſtagnando obſtructiones generent, modo per venas & vaſa lymphatica cum reliquo ſanguine confuſi, exceſſivas in eo & febriles ebullitiones excitent; aut per μετάςασιν, a natura irritata ad loca nobiliora protrudantur.

§. 15. Exempla, dictis robur conciliantia, ex Autoribus congerere, ratio inſtituti recuſat, poſſentque, ſi forſan præſens ægra non ſatis triſte ſpectaculum exhiberet, ex excellentiſſ. Dn. Præſidis diariis, in quibus accurate quorumvis ægrotantium, ejus curæ ſeſe committentium, ſymptomata καθ' ἡμέραν conſignari ſolent, facili negotio ex ſimili cauſa orientes vomitus cruenti, hæmoptyſes, graves ophthalmiæ, furores maniacis ſimiles, epilepſiæ, hæmorrhagiæ narium, diarrhœæ, dyſenteriæ, tumores crurum diuturni, arthritides, cachexiæ &c. cum læto pariter ac triſti eventu, huc transſcribi: ſed tranſeundum eſt ad cauſas remotiores.

§. 16. Has vero cum in noſtra tantum res naturales & non naturales conſtituant, vix, ſi unicum terrorem exceperimus, procatarcticarum nomine onerare audemus. Quamvis enim temperamentum ſangnineum ad cholericum vergens, ſtatum ſanguinis paulo acriorem notet, qualem etiam cibi ſalſi & vini potus in ætate juvenili generare valuerunt; nihil tamen, ut ex hiſtoria liquet, hæc & tempus anni æſtivum, alvusque clauſa, ad reprimendum lochiorum fluxum contulerunt, ſed tantum poſtmodum, cum ſemel per terrorem ςάσις humoribus inducta eſſet, anſam præbuerunt, ut hi citius turgeſcerent acerbiusque ægram divexarent: quo pacto, reſpectu qualitatis & motus humorum præternaturalis, προηγουμένης cauſæ autores fuere.

§ 17. Fertiliſſimus hicce cauſarum campus copioſam variorum ſymptomatum pollicebatur meſſem, inter

quæ primo ſtatim loco animadvertendus venit dolor hypogaſtrii & iliorum, deinde dorſi & ventris; quorum, ille ab uteri & ligamentorum latorum, hic vero a meſenterii fibris & vaſis extenſis atque irritatis debendebat. Quippe, ut in antecedentibus monuimus, haud exigua humorum quantitas excluſionem ſui ex utero præſtolabatur; cum vero exitus ipſis præcluſus eſſet, hinc ab initio ſola moles gravabat, donec ex fermentativa recluſione texturæ eorum, elaſtica non ſolum expanſio exſurgeret, ſed extricatæ etiam particulæ ⊖næ, inque motum redactæ, ſenſiles partes roderent & pungerent.

§. 18. Par ratio erat dorſi & ventris; cum enim per aliquot horas & dies humores circa uterum ſubſiſterent, & in vicino dorſo atque meſenterio ſanguinis progreſſus itidem remoras pateretur. tunc ibi quoque vaſa & adjacentes membranoſæ partes ex diſtenſione atque vellicatione affligebantur.

§. 19. Senſim autem & ſenſim invaleſcebat dolor, quia hæc omnia non ἀθρόως καὶ βιαίως fiebant, unde acutus ſenſus ortus eſſet, ſed cum mora aliqua. Quamvis enim circa ipſum uterum coagulatio humorum ſatis cito contingeret, vicina tamen vaſa non æque cuncta ſimul obſtruebantur, ſed omnino ſanguini, ab arteriis allato, per venas & lymphaticos tubulos aliquamdiu expeditus regreſſus concedebatur, inque ligamentis, dorſo & meſenterio ſtagnatio & fermentatio tardius incipiebat.

§. 20. Non parum quoque turbatus hicce humorum motus ad duritiem & intumeſcentiam abdominis faciebat. Nam utut illa naturalis facultatis læſionem inſequentia ſymptomata, nauſea, ructus, tumor ventris, anxietas, vomitus, averſatio ciborum, & alvi ſegniti-

es,

es, ventriculi & inteſtinorum coctiones labefactatas & ex cruditatibus flatus generatos eſſe teſtabantur, horumque phœnomenorum faber ſolus terror eſſe poterat; nullum tamen dubium eſt, quin illa leviora fuiſſent & magis tranſitoria, niſi ab utero exacerbationem accepiſſent.

§. 21. In ſpecie autem nauſea, ructus & flatus indicabant præſentiam materiæ vitioſæ in ventriculo & inteſtinis, a qua natura liberari geſtiebat. Cum enim in iſtis locis chylificatio quietem amet & præſentiam ſpirituum, utramque vero terror turbaviſſet, loco blandæ digeſtionis & perfectionis ſucci nutricii, oriebatur chyli crudi cum bile & glandularum ventriculi, inteſtinorum atque pancreatis liquore fermentatio vitioſa, quæ ſtomachum & inteſtina flatibus replebat, ita ut, ob inferiorem portam clauſam, per ſuperius orificium erumpere deberent, haud ſine ſubſtantiæ ejus nervoſæ triſti ſenſu, & conjuncta ſpaſmodica criſpatione, genuina anxietatis matre, quam ſimul anguſtia & coarctatio illius ſpatii, cujus beneficio pulmones aerem hauriunt, notabiliter augebat. Hæc enim ab intumeſcentia ventriculi, diaphragma prementis, orta, etiam crebrius reſpirandi neceſſitatem inducebat; quatenus natura reciprocationem aeris frequentius repetere cogebat, dum pulmones impediebantur, quo minus, ob denegatum deſcenſum diaphragmatis, expandi & adimpleri poſſent.

§. 22. Quod vomitus attinet, etiamſi non negandum, gravibus hiſce ſymptomatibus eos frequenter ſupervenire poſſe, attamen aliam ob cauſam, nempe nauſeam, ab aſſumto ₒ%o lini, hic oriebatur. Quanquam enim nonnulli citra vomitum id hauriant, & inter plebis emmenagoga & ἐκβόλια referatur; tamen plerisque fœminis, præſertim teneriore corpore præditis, minus conducit,

 unde

unde in noſtra, ex inepto hoc remedio, non ſolum ſtomachi everſionem, ſed etiam poſtmodum ciborum averſionem ſecutam fuiſſe, mirum non eſt, laxato ejus tono & fermento ventriculi enervato.

§. 23. Horrebat ægra & poſtea, plus quam ſatis erat, calebat; quia corrupti circa uterum humores, acrioresque redditi per venas ſanguini communicabantur, & non febriculæ ſolum occaſionem præbebant: (quam raro etiam naturaliter ſe habentes puerperæ effugiunt) ſed etiam quatenus vaſa membranasque cerebri tendebant & morſicabant, in vigilante doloris & delirii, in obdormiſcente pavorum & inſomniorum terrificorum cauſa fiebant. Nimirum in hac puerpera membranæ exquiſitiori ſenſu pollebant, & irritatæ facile σπασμῶδές τι patiebantur, cujus occaſione phantaſia imagines quasdam terribiles comminiſcebatur, ut dormitans ægra, ob ſpiritus & nervos ſubito perculſos, muſculorumque in artubus celerrimos motus convulſivos evigilans, ſemet ab inſomnio excitatam putaret.

§. 24. Alvus usque adhuc clauſa manſit, partim a cauſa privativa, quia parum ingeſtum eſt, & per vomitus aſſumta excreta fuerunt; partim a poſitiva; inteſtinum enim rectum, ſubjacens utero, in conſenſum trahitur, & ab utero tumido comprimitur.

§. 25. Pene obliti ſumus doloris mammarum, quas ob communionem officii, quod in fœtu ſuſtentando gerunt, utero conſentire affirmavimus. Cauſa equidem hujus doloris erat ſanguis, juxta leges naturæ haud diu poſt partum, pro generatione lactis ad has glandulas conglomeratas abiens, & tantum non in omnibus puerperis, imprimis vero prima vice parientibus, punctiones excitat: ſed hac vice impetuoſius irruebat, & non modo tubulos teneros nimis replebat, ſuaque quantitate,

ob

ob uterum occluſum, per univerſum corpus exſuperante, ſed acribus etiam particulis infeſtabat.

§. 26. Indagatis hiſce cauſis tam proximis, quam remotis, Prognoſin aggredimur, ſolliciti de prædictione ſalutis & mortis; ubi dicendum, quod ratione ipſius affectus, ex recenſitis ſymptomatibus pateat, Lochiorum retentionem inter perículoſiſſimas ægritudines numerandam eſſe, & niſi medicamentis, affectui exacte reſpondentibus auxilio cito veniatur, paucos intra dies ægram mortuis aſſociandam fore. Maxime ſi hiſce ſymptomatibus inflammatio uteri, pleuritis, peripnevmonia, febres acutæ, phrenitis, mania, melancholia &c. ſuperveniant.

§. 27. E contrario bonum eventum prædicimus, ſi natura ipſa ſponte, & medicamentis adjuta, obſtructiones reſerabit, & uterum a nocente ſarcina liberabit, aut per alia loca convenientia humores, quos per uterum exire par erat, extrudet: e. g. ſi excretio ſtagnantis ſanguinis fiet per hæmorrhagiam narium, aut per hæmorrhoides, aut per vomitum cruentum, aut denique ſi per ſudorem copioſiorem, aut quodvis aliud, quod lochiorum vicem in totum, vel in partem ſubire poteſt, aliquid tentabit, & hinc urina cum ſedimento fuliginoſo ſolutionem morbi inſtantem indicabit.

§. 28. Longitudinem & brevitatem non poſſumus equidem adeo accurate certis circumſcribere finibus, ſed tamen, cum malum adhuc ſit fere recens, ægraque ab externa potius cauſa, quam interna, cacochymia v. g. aut febre laborare inceperit, nulliſque aliis morbis antea defatigata ſit, eam bono animo eſſe jubemus; paucis enim præterlapſis diebus eam a periculo mortis vindicatam fore ſperamus.

§. 29. Modum ſalutaris eventus, quantum a virtute

tute naturæ dependet, paulo ante indigitavimus; prout autem is ab alieno auxilio expectari poteſt, obtinebitur, partim præparatione & correctione humorum viſcidorum & lentorum; partim euacuatione Lochiorum, per medicamenta aperientia & pellentia, imprimis autem virtutis vitalis ſtudioſa conſervatione.

## *Proceſſus Curationis.*

ANtequam ad ægrotam accederemus, conſideratio enumeratarum circumſtantiarum initium curationis a clyſtere & VSne faciendum eſſe ſvadebat; ut per apertionem ventris flatibus, ad ſuperiora abitum affectantibus, & ſaburræ cruditatum exitus pararetur, & hinc per ſubſidentiam abdominis anxietas præcordiorum mitigaretur, ſimulque ſanguis, in meſocolo & utero ſtagnans, ad fluxum diſponeretur, quem ope VSis adhuc magis promovere ſperabamus, cum, poſt ablationem aliquot unciarum, reliqua maſſa facilius a natura gubernari poſſet.

Sed mutabamus conſilium, quia hora 7 matutina ad ægram vocati, eam admodum debilem & animi deliquio proximam, pulſumque frequentem deprehendebamus: quapropter antequam carinam moveremus, de viribus potius proſpicere, urgentibusque doloribus occurrendum eſſe ſtatuebamus. Quem in finem ſequentia commendabamus:

℞. Miſt. ſimpl. ℥iß. Eſſ. caſtor. cort. aurant. an. ʒß. anod. ʒj.

M. D. S. Innerliche Mixtur, davon frühe umb 8/ und nachmittage umb 4 Uhr 30 Tropffen in Biere/oder einen Löffel alten Wein zu nehmen/und den Leib eine Stunde ſtill und warm zu halten.

℞.

℞. ♃ ♁ii, oc. ♋ præp. ♁ ♂l. Ludov. ſpecier. lætif. ã. ℈j. elæoſacch. cinnam gr. XII. M. D. S. Pulver auf 4 mahl/ gegen Mittag umb 11 und Abends umb 9 Uhr/ in Meliſſen und Zimmetwaſſer zubrauchen.

℞. ♁ ♌l. macis, cinnamom. ã. gt. iij.
cort. aurant. caryoph. ã. gt. V. rut.
carv. ã. gt. VI. nuciſt. expr. ʒß.
M F. Balſamum. D. S. Balſam/ in die Hertz-Grube/ an die Schläffe/ und Puls an Händen zu ſtreichen.

℞. ∼tus theriacal. lil. convall. ã. ℥ß. *ci, eſſ. caſtor. aromat. ã. ʒj. M. D. S.

Euſſerliche Mixtur, zum Riechen und Auſtreichen.

℞. Ungu. aregon. de alth. de artanita ã. ʒiij. ♁ ♌ ſabin. chamæm hort. ã. gt. X. ſuccin. gt. V. M. D. S. Salbe/ damit allemahl/ ehe die Tropfen oder Pulver genommen werden/ der Rücken/ Lenden und Schoß zu ſchmieren/ und eine Zeitlang mit der flachen Hand abwerts zu ſtreichen.

℞. Herb. matricar. ſabin. meliſſ. artemiſ. puleg. Flor. chamæm. hortenſ. fl. pleno ã. mj. cheir. calend. ã. pi. ſem. foen. gr. baccar. laur. ã. ℥ß. Inciſ. cont. gr. m. D. in Charta, S. Species in ein breit Säcklein zu füllen / welches allemahl nach den ſchmieren kan auf den Unterleib geleget werden.

Cum hora pomeridiana quinta eam reviſeremus ratione utebatur integra, & arteria admotum pollicem fortius pulſabat. Comederat juſculum cum ovo ſorbili. Jubebamus itaque continuare medicamenta, & ante noctem applicare clyſterem, ſimul vero loco mixturæ internæ hanc ordinabamus:

℞. Eſſ. ther. caſtor. ā. ʒj. croc. ligni aloes. anod. ā ʒß. ~ ⊖ dulc. ʒj. M.

Priorem vero illam, ob ~ ♀ odorem, quem ex nicotiana eſſe putabat, nullo modo ferre valebat, evomeratque, poſt magnam nauſeam & multos ructus, primam, & ſecundam doſin.

℞. Rad. bryon. ℥j. ariſtol. rot. mechoacan ā. ʒij. Herb. ſabin. artemiſ. mj.
fl. chamæm. hort. pij. melilot. cheir. ā. pj. ſem. dauc. cret. chærefol.
agaric. an. ʒij. Inciſ. contuſ. gr. M. coquantur c. ſ. q. ▽ font. ad colat. ℥ VIII, in quibus diſſolve elect. hier. picr. bened. laxat. ā. ʒij.
oo rut. laur. an. ʒiij. ⊖ ♀ ℈j. M. f. Chlyſter, qui D. c. pertinent.

Clyſterem heri tres validæ dejectiones exceperant, cum euphoria & trium horarum ſequente ſomno. Hunc denuo ingruentes dolores dorſi atque hypogaſtrii turbabant, per intervalla, more laborum partus, verſus pubem excurrentes. Inprimis autem a ſitiente infante peſſime afficiebatur, a cujus ſuctu cuncta contenta ſurſum trahi, corque comprimi videbatur, ut ſæpius, ob imminentem reſpirationis interclusionem eum a mammis dimovere cogeretur. Interim turgebant hæ inſigniter, & quamvis mulierculæ blanda appresſione ſcopularum ſetacearum, & frictione earum cum pelle muſtelæ albæ, aliisque artibus lactis coagulationem præcavere ſtuderent, & per lagenulas ejus quoque bonam quantitatem elicerent, neutiquam tamen præcavere poterant, quin, ob glandulas & tubulos lacteos diſtenſos, venoſa vaſa premerentur, ſangvini refluo obex poneretur, & circa meridiem mammæ cum acutis doloribus & duritie rubere atque calere inciperent, ipſaque ægra manifeſte febricitaret.

Ut

Ut igitur imminentem (vel jam præſentem potius) harum partium inflammationem ſedaremus, humores, ab inferioribus ad ſuperiora quaſi regurgitantes, imminueremus, uterum aperiremus, & non tantum præſenti febri, per pulſum celerem, calorem totius auctum, dolorem capitis, & inquietudinem anxiam ſe exerenti, obviam iremus, ſed etiam mammas a futura gravi exulceratione præſervaremus, ſine mora, poſt frictionem crurum & femorum, ex utriusque pedis ſaphæna ſanguinem ad uncias octo mittere jubebamus, interea ſequentia præſcribentes:

℞. ⊕ ðti ℈ij. C. C. uſt. ʒj. M. D. S. Pulver / davon die Helffte in ein Maß Bier zu ſchütten / und bey jeden Truncke umzurütteln.

℞. ▽ ceraſ. nigr ℥ij. meliſſ. ſ. vin. rub. id. an. ℥j. cord. cerv. epil. Lang. ā. ʒii. adde bez. pulv. Sennert. Marchion. an. ℈i. ſpec. cord. ʒi.
M. D. in vitro S. Stärckend Träncklein / wohl umgerüttelt dann und wann löffelweiß zugeben.

℞. Rad. rub. bryon. leviſt. an. ℥i.
Herb. ſabin. mij. artemiſ. puleg. meliſſ. an. mj.
Beccar. laur. ℥ij. inciſ. contuſ. gr. m. includantur ſacculo, ferveſiant cum vino in olla clauſa; cum operculo tubulato, ex quo vapor ter quaterque quotidie per horæ quadrantem ad uterum dirigatur, & ſacculus expreſſus poſtmodum genitalibus apponatur, continuando unctiones heri inceptas.

℞. Eſſ. camphor. ℥j. D. S. Die Brüſte alle zwey Stunden vermittelſt einer Feder zubeſtreichen.

℞ Flor. ſambuc. chamæm. hort. melilot. ā. mij. ſem. 4. calid. major. ā ℥ß. lin. ℥j. Inciſ. contuſ. gr. m. includantur 2. ſacculis. S. Säcklein / nach dem beſtreichen / gelinde gewärmet auf die Brüſte zulegen.

 Tem-

Tempore ſomni loco pulveris aſſumebat ægra pilulas ex maſſæ de ſuccin. Crat. & hier. picr. ã gr. Xij. cum eſſ. caſtor. formatas.

Die 15. Nox fuerat inquieta, pilulæ enim bis alvum moverant, cnm multis lancinationibus, in dorſo, lumbis & regione inguinali, excitaverantque obdormiſcentem, partim inſomnia terribilia, partim punctura in pectore & regione ſcapularum, a lacte, exitum quærente, orientes, ploratusque infantis. Subſederant nihilominus mammæ ſenſibiliter, quia lac jam ſponte effluebat, & a puſillo, quamvis non ſine penetrantiſſimis matris tormentis, extrahebatur. In ſiniſtra autem mamma hærebat nodus, juglandis magnitudine, cui, cum rubore admodum conſpicuus eſſet, & imprimis doleret, nosque interrogati, jam uſurpata remedia ſufficere reſponderemus, neſcio cuius ſuaſu emplaſtrum, colore ſimile oxycroceo, nobis inconſultis, inponebatur, & quamvis poſtmodum factum improbaremus, inque iſto loco apoſtema prænunciaremus, major tamen erat fiducia bonitatis emplaſtri, quam metus futuri damni.

Nos interim noſtra curantes, ut, præter interna, fotus, vaporationes & litus crebrius repeterentur, monebamus; cumque d. 16. calorem mitiorem, ſitim naturalem, alvum expeditam, appetitum mediocrem, uterum autem inexpugnabilem eſſe obſervaremus, loco ſuperiorum, pro interno uſu conſignabamus ſequentia medicamenta:

℞ Elix. propr. ſ. acido ℥ij. Eſſ. caſtor. ⁓✱ ã ℥j.
M. D. S. Mixtur, wie die erſte zugebrauchen.
℞ Fec. bryon. hier. ſimpl. ſ. aſaro.
myrrh. caſtor. ã. gr. XII.
oc. ♋. ℈j. elæoſ. cinamom. ℈ß, M. F. pulv. D. S.

Auf

Auf 4mahl wie das vorige / in Poley und Zimmet-Waſſer zunehmen.

Ægræ, flebili voce de continuo & pulſatorio mammæ dolore conquerenti, & ſpatium tuberculi, jam volæ manus æquans, oſtendenti reſpondebamus, ab emplaſtro hoc eſſe, adducendum eſſe chirurgum, nec enim amplius exulcerationem evitari poſſe, ſed ferendum eſſe malum patienter, donec locus ad apertionem maturus fiat.

Die 17. expreſſerant tandem heſterna medicamenta modicum ſanguinis nigri corrupti, quod elapſa nocte exigua ſua mole acerbas & parturientium doloribus vix cedentes lancinationes excitaverat, ægramqne plane defatigarat, ut illorum ulterior uſus nova tormenta metuenti nullo modo perſuaderi poſſet.

Præſcribebamus igitur colore quidem diverſa, virtute autem fere eadem, nimirum:

℞ Eſſ. myrrh. caſtor. ā ℥ij. croc, ~⊖✱ ā. ℨß. M.

℞ Pulv. borrac. venet. fec. bryon. rad. zedoar. ã. ℈j. fulig. ſplendent. lumbric. terreſtr. el. macis. ã. gr. Xij. fol. ☉. & ☽. ā no. ij. M. f. pulv. auf 4 oder 5 mahl.

Obſtetrix parabat peſſum ex lana, melle, pulvere artemiſiæ & aſa fœtida, qui licet ab ſtatim ægra, pruritus, in vagina excitati, impatiente, evulſus & longiſſime projectus eſſet, haud omni tamen effectu carebat, ſed aliquantillum cruoris & ſeri lutei evocabat. Ex quo phænomeno nobis occaſio naſcebatur, aliquid per ſuffimigia tentandi.

Cum enim d. 18. natura ipſa nondum expellendis lochiis ſufficeret, dolores autem & conatus haud quieſcerent, fumum ex ſequente pulvere per intervalla duarum vel trium horarum, per infundibuli canalem ad genitalia ducere jubebamus:

℞ Bdell. trochiſcor. de myrrh. hyſtericor. ā. ℨj. raſur. ungul. aſin. ℨij. M. F. pulv. groſſ. D. S. Pulver zum Rauch.

Cum vero puerpera fœtorem hujus ſuffimigii nullo modo tolerare poſſet, & a prima doſi ſtatim vertigine tenebricoſa, gravi cephalalgiæ cordisque anxietati & nauſeæ conjuncta, corriperetur, alia via rem aggredi conabamur, qua aliquoties pertinaces menſium obſtructiones ſublatas noveramus.

℞ Pulv. cin. clavell. ℨiij. ✱ ℨj. M. & ſtatim indantur cucurbitulæ ferreæ, ſtanno obductæ, ad hoc negotium expreſſæ elaboratæ. Tempore uſus inſtilla ℴ͞ℴ ſabin. ſuccin. ā. gutt. v. affunde vini Hiſpanici ℥j. (vel loco horum omnium infunde in cucurbitam ℨß ⊖ volat. ℴ͞ℴ ſi alicujus uterini) impone operculum, ſeu tubum pedem fere longum, circa apicem in modum metrenchytæ perforatum, & hunc ad unciæ vel duarum latitudinem vaginæ immitte, applica ſubtus flammam candelæ, ut cucurbitula incaleſcat, ejusque contenta ſubtilem exhalationem emittant.

Hæc juxta cum reliquis medicamentis, ordine decente adhibitis, in noſtra tantæ erat efficaciæ, ut quoties d. 19. tubus hic intimioris admisſionis fieret, ægra quaſi ſacro horrore correpta, tota contremiſceret, uinverſumque corpus ab utero irritato in conſenſum traheretur. Idque ſine moleſtia aut magno incommodo patientis, quin cum euphoria potius ſtatim ſubſequente. Nam ſolvebantur tandem repagula uterina, ut corrupti humores, hactenus per moram tot malorum cauſæ exiſtentes, peſſimo colore atque odore præditi, per pluſculos dies excernerentur, & ægra præſentisſimo vitæ periculo feliciter eriperetur.

Nemo tamen ſibi perſvadeat, per ſaltum priſtinam valetudinem huic rediiſſe, ſed adeo proſtratæ erant vires

ſto-

ſtomachi, ſanguiniſque maſſa collutulata; & tonus uteri enervatus; ut præter ea, quæ ad ſanationem ulceris mammæ, d. 20. per lanceolam aperti, requirebantur, per aliquot menſes medicamentis opus haberet, antequam appetitus conſtans & regularis fieret, coctio prima placide, ſine phlogoſibus ac borborygmis abſolveretur, egeſtiones ingeſtis reſponderent, cadaveroſus faciei pallor cum amabili εὐχροίᾳ, & ſenilis frigiditas extremorum cum blando & vitali tepore, ceu boni ſanguinis indicibus, permutarentur, uterus vero juſtos fluxus ſui rythmos obſervaret, amiſſusque bonus corporis habitus emaciata membra occuparet.

Prolixum eſſet cuncta remedia hoc loco accurate deſcribere; ſufficietque nobis ad finem, ob temporis penuriam, properantibus, tribus verbis, balſamica, abſorbentia, aperientia, eaque amara frequentius, quam Θna, nominaſſe, cum interpoſitis paucis lenientibus, maxima ex parte eccoproticiis. Sed citius ſine dubio & perfectius noſtra convaluiſſet, ſi circa uſurpationem medicamentorum præceptis medici obtemperare & diætæ regulas ſtrictius obſervare voluiſſet & valuiſſet. Nam cum aerem commendaſſemus purum, temperatum, & conclave meridiem vel eurum ſpectans, ægrotans ſeptentrioni expoſitum & tantum non uliginoſum inhabitabat. In reliquis ubique inculcabamus mediocritatem, interdicebamus a cibis dyſpeptis, cacochymis, acidis, vino recente, fructibus horæis &c. Enimvero, quo ægrius rationis freno inepta peccandi & quidlibet deguſtandi libido coercebatur, tanto tardius quoque operoſam medicationem optatus coronabat.

*F I N I S.*

Virtu-

VIrtutis proprium eſt cunctos ſuperare labores,
Cunctaque ſcrutari quicquid ubique vides.
Virtutis proprium eſt Fructus quoque carpere dulces,
Radices quamvis non ſine felle fient;
Tu quoque Virtutes Beiere colende per omnem
Scrutaris Vitam, dignus honore gravi:
Atque brevi fiet ſtagnabit honos ſine fine
Alta petens: dabit ac ipſe Galenus opes,
Utque Galenus ovans ſis nomine & omine grato,
Ipſe Polus faxit, ſic faveatque ſolum!

*Pauciſſimis hiſce diſtans licet Corpore, præſentiſſimus tamen animo, peroptatam vovens Amico quondam ac ſemper ſuo integerrimo proſperitatem, gratulari voluit ac debuit.*

JOHANNES TURCK,
Nobilis Hungarus.

---

*SIccine Magnifici renovas præconia Patris*
*Inclyta quæ patulo tramite fama vehit!*
*Sic Roſa non ſpinas, milvum neque regius ales*
*Gignit, quid paſſim rarius eſſe ſolet?*
*Entheus Aſtrææ tranſit Pater aſtra Sacerdos;*
*Aſt Tuus in Cathedra ſurgere cœpit honos.*
*Nonne Machaonias cum plauſu diſſeris artes,*
*Et calamo* λοχίων *dogmata laude refers?*
*Hinc opportunos Tibi, Fautor, gratulor auſus,*
*Det DEUS, ut Patriæ commoda plura feras!*

Hiſce prænobiliſſimo Dno Doctorando, Fautori & Amico ſuo integerrimo bene meritos honores animitus gratulatur.

T. DEHNE, Altenburg. Miſn.